

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXVI. Qualiter Christu ardorem cordis divini sui in anima
refrigeravit.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

hoc Christo sufficit ; sed per semetipsum surgens dicit : *Ponam in salutari*, id est, per memetipsum desiderio ejus satisfaciam ; offerens Deo Patri pro anima illa laudes, vel quidquid desiderat, dignissime pro ea supplet. Post hæc Dominus ait : « O si unus gemitus ita excellenter est acceptatus, quomodo jam ulla tristitia in anima pauperis remanebit ? »

Gemitus
animæ ad
se Deum
intrahit

Alia vice cum etiam Dominum desiderans ad ipsum ingemisceret, dixit ad eam Dominus : « Quid modo habes ? Ecce quotiescumque post me ingemiscis, me tibi intrahis ; omnibus enim rebus me communiorem feci. Nulla denique res tam parva aut tam vilis est, nec etiam filum, aut una festuca, quæ voluntate tantum acquiri possit ; me autem homo sola voluntate, aut uno gemitu habere potest. »

CAPUT XXXVI.

QUALITER CHRISTUS ARDOREM CORDIS DIVINI SUI IN ANIMA
REFRIGERAVIT.

ITEM cum vice quadam contristata, ingemisceret eo quod sibi videretur se inutilem esse, quia infirmitate præpedita Ordinem tenere non valebat, audivit sibi Dominum dicentem : « Eia, fave mihi, ut ardorem divini mei Cordis in te refrigerem. » In hoc verbo intellexit quod omnis qui dolores et infirmitates cordis, tristitiam, dejectionem, sive quamcumque tribulationem in unione amoris, quo Christus in terris afflictiones et gravamina multa, et tandem ignominiosam per tulit mortem, libens et volens sustinuerit, in eo quodam modo ardorem divini Cordis sui temperabit, qui tam inæstimabili desiderio hominis quærit salutem. Quia cum modo in se tales

passiones amplius perferre non possit, in suis dilectoribus, qui ei amore fideli adhærent, dignatur supplere. Et sicut ejus passio toti profuit mundo, non solum sui temporis hominibus, sed usque in finem sæculi in eum credituris; sic diligentium se passiones et tribulationes justis cedent in meritum, reis ad veniam, defunctis ad gaudium sempiternum. Et cum anima illa, quæ sic in terris divini Cordis refrigeratio fuit, in cœlum pervenerit, mox supra Cor Dei advolans, divinitate ac si oleo optimi liquoris peruncta, tota in ardore ferventissimi Cordis Dei, cum omni quod hic pro Christo sustinuit, concremabitur; et sicut thymiama fragrantissimum seu balsamum, odoris sui suavitate totum cœlum respergit, quo omnes Sancti nova jucunditate et delectatione perfunduntur; et hoc est quod dicitur in psalmo: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* (PSAL XLIV. 8.)

Anima
sicut
thymiama
cœlum
delectat.

CAPUT XXXVII.

QUOD HOMINES DEI PIGNUS SUNT

AUDIENS aliquando cantari Versum illum: *Dulcem vocem audient justi*, etc. recordata est pignoris sui quod Deus sibi olim dederat, et dulci affectu Deo perinde gratias referebat. Cui Dominus: « Ego pignus tuum sum, et tu meum. » At illa dum cogitaret quomodo Dei posset esse pignus, quæ nullius meriti esset, Dominus respondit: « Omnes homines pignus meum sunt, et tenentur mihi rependere mortem meam, secundum quod Apostolus dicit: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* (COLOSS.

Pignus
tuum sum,
et tu meum.

1. Cf. Part. I. c. 20. II. 19. VII. 11, item *Legatus*, Lib. v. c. 4.